

21. considerans Machabæus adventum multitudinis, & apparatus varium armorum, & ferocitatem bestiarum, extendens manus in cælum, prodigia facientem Dominum invocavit, qui non secundum armorum potentiam, sed prout ipsi placet, dat dignis victoriam.

22. Dixit autem invocans hoc modo:

* *Supr.* 8.
19.

Tu Domine, qui misisti angelum tuum sub Ezechia rege Iuda, & interfecisti de castris Sennacherib centum octogintaquinque millia:

23. & nunc dominator cælorum mitte angelum tuum bonum ante nos in timore, & tremore magnitudinis brachij tui,

24. ut metuant qui cum blasphemia veniunt adversus sanctum populum tuum. Et hic quidem ita peroravit.

25. Nicânor autem, & qui cum ipso erant, cum tubis & canticis admovebant.

26. Iudas verò, & qui cum eo erant, invocato Deo, per orationes congressi sunt:

27. manu quidem pugnant, sed Dominum cordibus orantes, prostraverunt non minus trigintaquinque millia, præsentia Dei magnificè delectati.

28. Cùmque cessassent, & cum gaudio redirent, cognoverunt Nicânorem ruisse cum armis suis.

29. Facto itaque clamore, & perturbatione excitata, patriâ voce omnipotentem Dominum benedicebant.

30. Præcepit autem Iudas, qui per omnia corpore & animo mori pro civibus paratus erat, caput Nicânoris, & manum

cum humero abscissam, Ierosolymam perferri.

31. Quò cum pervenisset, convocatis contribulibus, & sacerdotibus ad altare, accersit & eos, qui in arce erant.

32. Et ostenso capite Nicânoris, & manu nefariâ, quam extendens contra domum sanctam omnipotentis Dei, magnificè gloriatus est.

33. Linguam etiam impij Nicânoris præcisam iussit particulatim avibus dari: manum autem dementis contra templum suspendi.

34. Omnes igitur cæli benedixerunt Dominum, dicentes: Benedictus, qui locum suum incontaminatum servavit.

35. Suspendit autem Nicânoris caput in summa arce, ut evidens esset, & manifestum signum auxilij Dei.

36. Itaque omnes communi consilio decreverunt nullo modo diem istum absque celebritate præterire:

37. habere autem celebritatem tertiadecimâ die mensis Adar, quod dicitur voce Syriacâ, pridie Mardochei diei.

38. Igitur his erga Nicânorem gestis, & ex illis temporibus ab Hebræis civitate possessâ, ego quoque in his faciam finem sermonis.

39. Et si quidem benè, & ut historiæ cõpetit, hoc & ipse velim: sin autem minus dignè, concedendum est mihi.

40. Sicut enim vinum semper bibere, aut semper aquam, contrarium est: alterius autem uti, delectabile: ita legentibus si semper exactus sit sermo, non erit gratus. Hic ergo erit consummatus.



SANCTUM JESU CHRISTI EVANGELIUM SECUNDUM MATTHÆUM.

*V*eteri Testamento Novum successit, id est, umbra lux, imagini corpus, figura veritas. Hoc, ut ait Augustinus, inter omnes divinas auctoritates merito excellit, quòd in eo reddita & completa confirmantur, quæ Lex & Prophetæ prænuñciarant. Nam cùm illa advenisset toties Prophetis notata temporis plenitudo, quo caput serpentis à semine mulieris erat conterendum, misit Deus in terram Unigenitum suum factum ex muliere Beata Virgine Mariâ, de qua natus est anno Iul. 41. imperantis Augusti à cade Casaris 40. Periodi Iulianæ 4709. Mundi 4000. ante æram vulgarem 4. Deus & homo JESUS CHRISTUS, cùm in illo veri Salomonis adventu mundus altâ compositus pace quiesceret. Baptizatus à Ioanne Baptista, anno ætatis 34. in eunte, munus suum auspicatus est; eoque per tres annos ac menses aliquot functus, benefaciens, mortuos suscitans, omnem sanans languorem, hominèsq; Evangelica vita præceptis erudiens, tandem anno Imperij Tiberij 19. cùm ipse 37. ætatis attingisset, sub Pontio Pilato Præside, pro nostra ac totius mundi Salute, quarto ministerij sui Paschate, immolatus est, ac die tertiâ à mortuis resurrexit, & post 40. in cælum ascendit, ubi Patris dextera æternùm asidet.

Illius facta dictaque, cùm nihil ipse de se scripsisset, divino consilio, ad Ecclesia solatium & institutionem, quatuor Discipuli litteris mandavere, quorum MATTHÆUS, & JOANNES, rem ut viderant narrarunt; alii duo MARCUS, & LUCAS, ut ex oculatis testibus acceperant. Quòd divinâ providentiâ, inquit Augustinus, per Spiritum sanctum procuratum est: ne putaretur quòd attinet ad percipiendum & prædicandum Evangelium, interesse aliquid: utrùm illi annuncient qui eundem Dominum hîc in carne apparentem secuti sint, an hi qui ex illis fideliter comperta crediderunt.

MATTHÆUS autem primus omnium scripsit Evangelium, teste Hieronymo, Irenæo, Athanasio, & aliis: idque Hierosolymis, ac sermone Hebræo, vel Syriaco potius, quo tunc utebantur Iudæi, ob horum nempe vel maximè causam scripsit, qui in Iesum crediderant ex Iudæis, inquit Hieronymus, & nequaquam legis umbrâ secedente, Evangelij veritatem servabant. Quòd fecisse putatur rogatu Discipulorum, & iussu aliorum Apostolorum. Exemplar illius, Hebræicis conscriptum litteris, secum apud Indos detulit sanctus Bartholomæus Apostolus, ut docet Hieronymus, quòd ibi ad Commodi Imperatoris tempora servatum esse notat Eusebius. In Græciam detulerat quoque S. Barnabas, cum cuius corpore repertum esse sub Zenone Imperatore refert auctor eius vita. Illud quoque pro concionibus exposuisse Hierosolymitanis S. Iacobum fratrem Domini scribit Athanasius. Nunc tamen illud Evangelium eâ quâ scriptum est linguâ non extat. Nam illud Hebræum à Munstero editum, prorsus spurium, & Syriacum quòd circumfertur longè Matthæi saculo recentius est. Sed illud verus Nazareorum, quòd tum in Bibliotheca Casariensi, tum Bebræ & alibi asservatum fuisse ad sua tempora scribit Hieronymus, prorsus ex ipso Matthæi codice fluxisse, nonnullis tamen mutatis, credibile est. Quòd ipsum ut rectè indicavit Gelazius ab Ebione maculatum ac depravatum est. Sicut autem Marcus adiutus videtur Matthæi Hebræo, cùm scriberet Evangelium, ita Marci Græco usus, qui fuit Matthæi Græcus interpres. Scripsit autem Mattheus circa annum 6. à passione, ut in Appendice Chronologico annotavimus.

Lib. de
Conf.
Evang.
c. 1.

Vid. Chro-
nologiam
nostram.

Lib. 1.
de Conf.
Evang.
c. 1.

CAPUT PRIMUM.

A quibus maioribus Christus secundum carnem descenderit: Angelus instruit Ioseph de Maria sponsa sua conceptione, partuque futuro.

IN CONCEPT. ET NATIV. B. VIRG.

- (a) Luc. 3. 31. (b) Gen. 21. 3. (c) Gen. 25. 25. (d) Gen. 29. 35. (e) Gen. 38. 29. 1. Par. 2. 4. (f) Ruth 4. 18. 1. Par. 2. 5. (g) Num. 7. 12. Ruth 4. 20. (h) Ruth 4. 21. (i) Ruth 4. 22. 1. Reg. 16. 1. (j) 2. Reg. 12. 24. (k) 3. Reg. 11. 43. (l) 3. Reg. 14. 31. (m) 3. Reg. 15. 8. (n) 3. Reg. 22. 41. (o) 2. Paral. 17. 1. (p) 4. Reg. 8. 16. 2. Paral. 21. 1. (q) 2. Paral. 26. 23. (r) 2. Paral. 27. 9. (s) 2. Paral. 28. 27. (t) 2. Paral. 32. 33. (u) 2. Paral. 33. 20. (x) 2. Paral. 33. 25. (y) 2. Paral. 36. 1. & 4.

IBER generationis Iesu Christi filij (a) David, filij Abraham. 2. (b) Abraham genuit Isaac. (c) Isaac autem genuit Iacob. (d) Iacob autem genuit Iudam, & fratres eius. 3. (e) Iudas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar. (f) Phares autem genuit Efron. Efron autem genuit Aram. (g) Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naasson. Naasson autem genuit Salmon. Salmon autem genuit Booz de Rahab. (h) Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Iesse. (i) Iesse autem genuit David regem. (j) David autem rex genuit Salomodem ex ea, que fuit Uria. 7. (k) Salomon autem genuit Roboam. (l) Roboam autem genuit Abiam. (m) Abias autem genuit Asa. 8. (n) Asa autem genuit Iosaphat. (o) Iosaphat autem genuit Ioram. (p) Ioram autem genuit Oziam. 9. (q) Ozias autem genuit Ioatham. (r) Ioatham autem genuit Achaz. (s) Achaz autem genuit Ezechiam. 10. (t) Ezechias autem genuit Manassem. (u) Manasses autem genuit Amon. (x) Amon autem genuit Iosiam. 11. (y) Iosias autem genuit Iechoniam, & fratres eius in transmigratiōe Babylonis. 12. Et post transmigratiōem Babylonis: Iechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel. 13. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor. 14. Azor autem genuit Sadoc. Sadoc autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud. 15. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Iacob. 16. Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.

17. Omnes itaque generationes ab Abraham usque ad David, generationes quatuordecim: & à David usque ad transmigratiōem Babylonis, generationes quatuordecim: & à transmigratiōe Babylonis usque ad Christum, generationes quatuordecim.

18. Christi autem generatio sic erat: Cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.

19. Ioseph autem vir eius cum esset iustus, & nollet eam traducere: voluit occulte dimittere eam.

20. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens: Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.

21. Pariet autem filium: & vocabis nomen eius Iesum: ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.

22. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem:

23. * Ecce virgo in utero habebit, & pariet filium: & vocabunt nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum Nobiscum Deus.

24. Exurgens autem Ioseph à fomno, fecit sicut præcepit ei angelus Domini, & accepit coniugem suam.

25. Et non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum: & vocavit nomen eius IESUM.

CAPUT II.

Quomodo Magi cum muneribus ad Christum natum pervenerint: de Herodis in infantes sevitia, & Christi in Ægyptum exilio, ipsiusque reditu in terram Israël.

1. CUM ergo natus esset Iesus in Bethlehem Iuda in diebus Herodis regis: ecce Magi ab oriente venerunt Ierosolymam,

2. dicentes: Ubi est qui natus est rex Iudæorum? vidimus enim stellam eius in oriente, & venimus adorare eum.

3. Audiens autem Herodes rex, turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo.

4. Et congregans omnes principes sacerdotum, & Scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur.

5. At illi dixerunt ei: In Bethlehem Iudæ: Sic enim scriptum est per Prophetam:

IN VIG. NATIV. DOMINI. Item IN FESTO S. JOSEPH. Luc. 1. 27.

Luc. 1. 31. Act. 4. 12.

Iesai. 7. 14.

Luc. 2. 7. Luc. 2. 21.

IN EPIPHAN. Luc. 2. 6. & 7. Regni eius ann. 36. editio nis Iulianæ 41. Period. Iul. 4709. M. 4000. ante aram vulgarem 4.

6. Et

* Mich. 5. 2. Ioann. 7. 42.

6. * Et tu Bethlehem terra Iudæ, nequam minima es in principibus Iudæ: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israël.

7. Tunc Herodes clam vocatis Magis diligentèr didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis:

8. & mittens illos in Bethlehem, dixit: Ite, & interrogate diligentèr de puero: & cum inveneritis, renunciate mihi, ut & ego veniens adorem eum.

9. Qui cum audissent regem, abierunt. & ecce stella, quam viderant in oriente, antecederat eos, usque dum veniens staret supra, ubi erat puer.

10. Videntes autem stellam gavisi sunt gaudio magno valde.

11. Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentibus adoraverunt eum: & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.

12. Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.

* Psal. 71. 10. * ss. INNOCENT.

13. Qui cum recessissent, ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum, & esto ibi usque dum dicam tibi. Futurum est enim ut Herodes querat puerum ad perdendum eum.

14. Qui confurgens accepit puerum, & matrem eius nocte, & secelsit in Ægyptum:

15. & erat ibi usque ad obitum Herodis: ut adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem: * Ex Ægypto vocavi filium meum.

* Osee 11. 1.

16. Tunc Herodes videns quoniam illufus esset à Magis, iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius à bimatu & infra secundum tempus, quod exquisierat à Magis.

17. Tunc adimpletum est quod dictum est per Ieremiam prophetam dicentem:

* Ier. 31. 15.

18. * Vox in Rama audita est ploratus, & ululatus multus: Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt.

IN VI-GIL. EPIPHAN.

19. Defuncto autem Herode, ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Ægypto,

20. dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & vade in terram Israël: defuncti sunt enim, qui querebant animam pueri.

21. Qui confurgens, accepit puerum,

& matrem eius, & venit in terram Israël.

22. Audiens autem quod Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre suo, timuit illò ire: & admonitus in somnis, secelsit in partes Galilææ.

23. Et veniens habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth: ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas: Quoniam Nazareus vocabitur.

CAPUT III.

Ioannes Baptista (cuius vita austeritas describitur) penitentiam iuxta Isaiam variatum in deserto prædicat: & populo ad ipsum confluentem, reprehendit Pharisæos unâ cum Sadducæis, docens ut dignos faciant fructus penitentia: & quantum suus à Christi baptismo differat: super Christum autem à Ioanne baptizatum descendit Spiritus Sanctus, & vox Patris cælitus audita est.

1. IN diebus autem illis venit Ioannes Baptista prædicans in deserto Iudææ,

2. & dicens: * Penitentiam agite: appropinquavit enim regnum cælorum.

3. Hic est enim, qui dictus est per Isaiam prophetam dicentem: * Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini: rectas facite semitas eius.

4. Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pellicæam circa lumbos suos: esca autem eius erat locusta, & mel silvestre.

5. * Tunc exibat ad eum Ierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem;

6. & baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata sua.

7. Videns autem multos Pharisæorum, & Sadducæorum venientes ad baptismum suum, dixit eis: Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere à ventura ira?

8. Facite ergo fructum dignum penitentia.

9. Et ne velitis dicere intra vos: * Patrem habemus Abraham. dico enim vobis quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham.

10. Iam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.

Anno M. 4032. inchoato. Eux vulg. 28. verrente. * Marc. 1. 4. Luc. 3. 3. * Iesai. 40. 3. Marc. 1. 3. Luc. 3. 4.

* Marc. 1. 5.

* Luc. 3. 7.

* Ioann. 8. 39.